EPISTOLA
DE IURE
ELECTORALI

GENTIS

PALATINO-BAVARÆ.

Anno à Nativitate Domini noſtri

M. DC. XXXVII.

EPISTOLA DE IURE ELECTORALI GENTIS PALATINO-BAVARÆ.

Salutem Plurimam.

NUperis binis præsentis Controversiæ Palatino-Bavaræ, & hæsitationis simul tuæ, complureis inter Imperii pacis restabiliendæ difficultates ac remoras mentionem præcipuè facis, cujus scrupuli eximendi studio rem altius paululum repetere visum.

Nec est quod ultra tempora Othonis III. Imperatoris ideo excurramus, cùm initio Imperii Occidentis & Caroli Magni temporibus, per CXV circiter annos, continuâ ejusdem familiæ serie, ratio successionis constet, alterata uti videtur iterum in successoribus Conrado I. Henrico Aucupe, Othone I. & II. & siquidē fortè authores varient? ritè historicos inter plerosque convenire, ac publico Electoris Moguntini testimonio pro electione Caroli V. consonum esse: Electoralem dignitatem Imperatoris Othonis III. tempore fundatam historia. Ac licet constitutionem hujus dignitatis nonnulli ratione temporis in dubium revocent, quibusdam à dicto Imperatore Othone III. aliis à tempore Friderici II. Imperatoris eam repetentibus, conciliationem tamen utriusque sententiæ per se esse facilem, dum quidam fundationem Othoni tribuant, quæ à morte Imperatoris ejusdem, uti in rebus arduis plerunque accidit, per subsequentes electiones non parum difficultatis experta, per Fridericum II. demum stabilimentum ac robur acceperit: Cujus ætati Historici numerum septennarium Electorum, & familias suffragantium annotent. ORIGO ELECTORVM.

Nobis pro præsenti materiâ res expedita erit, si authoritates utriusque scriptoris Palatini Freheri & Gebwoldi Bavari, quos vidisse te scribis (qui quidem privato stylo ingenii gratiâ absque causâ tunc exarasse literas suas videbantur) hac in re congruentes conjungamus, & pro subjectâ materiâ hujus Electoratus prima tempora Imperii seu Imperatorum temporibus applicemus. Notorium inde erit ex Genealogiâ ipsius domus & utriusque lineæ successivè in lucem editis, & historiâ passim, ipso Aventino scriptore Bavarico. Omitto equidem lubentius hic originem & regiones familiæ Germaniæ antiquissimæ, quas aliquot antè seculis possederint, & quibus vel Othonis I. Imperatoris tempore dejecti fuerint, cum præter historias universales, peculiareis tractatus diversorum, hos inter Thomæ Huberti Leodiensis & Freheri hoc nomine & aliorum, in promptu sint, nec hujus sit instituti. Notorium inquam erit, præsentem domum Palatino-Bavaram authorem prisci splendoris restaurandi, ac satorem familiæ habuisse Othonem Wittelspachensem, Ducatu Bavariæ à Friderico I. Imperatore, expulso Henrico Superbo, circa annũ MCLXXX, investitum, eundem ad posteros [præsentes] transtulisse per filium Ludovicum, qui filio itidem Othoni mediante matrimonio Agnetis Henrici Palatini Electoris (Othonis IV. Imperatoris fratris) filiæ unicæ superstitis ab Imperatore Friderico II. (anno 1216 circiter) concessionem seu investituram sibi simultaneam, vel descendentibus ex memorato matrimonio [parum refert] obtinuit, cujus prosapiæ Palatino-Bavara ex illo tempore nomine & genere una, & quidem Electoralis domus est, usque eo, ut in divisionibus fraternis, Palatinatus Rheni cum Electoriâ dignitate ac superiori Bavariâ (quam ditiones Monachiensem & Ingolstadiensem vulgò indigetant, reliquas Landshutensem & Straubingensem inferiorem Bavariam) Primogenito, reliquis fratribus portiones inferioris Bavariæ, ad dissidia fratrum usquè Rodolphi & Ludovici [post Imperatoris] cesserint: Parum hinc subtilitatis habere videntur

BAVARIA FRIDERICO I. IMP.

ELECTORATUS CUM PALATINATU RHENI A FRIDERIC. II.

tur

tur quæstiones per Gebwoldum in medium allatæ; An Palatinatus in Bavariam, vel contrà, Bavaria in Palatinatum translata fuerit? eò quòd una progenies in utroque Principatu primitus, ut dictum extiterit, & à potiori denominatio facienda in Jure. Filius etenim Othonis I. Electoris Ludovicus, quantum comperi, ita possedit; frater ejusdem partem Bavariæ inferioris Henricus; hujus posteritas, ex quâ Otto Rex Hungariæ, duravit ad pronepotes Ludovici quarti Imperatoris, qui sibi hæreditatem hanc vendicarunt. Ludovici dicti filii duo Rodolphus primogenitus & Ludovicus, de divisione dissidentes utriusque scilicet Principatus Palatinatus Electoralis & Bavariæ, puto Superioris, post bellicos motus principatibus funestos, conventiones temporales pro indiviso, & ad vitam primogeniti sive ad solidam divisionem iniêre, uti in Gebwoldi scriptis exempla exhibita, & verba clara cum Palatinatu Rheni jus Provinciæ reservatum peculiare Primogenito, Electionis fuisse subsequens Electio Imperatoris [ipsius Ludovici] si dubii quid restat, demonstrant. DISSIDIA PRIMA DE DIVISIONE.

Pendente hâc fratrum divisione Imperator Henricus septimus anno MCCCXIII. moritur, electioni dies indicitur, Rodolphus absque contradictione Electoris officio fungitur, suffragium, cum Coloniensi & Saxoniæ Electoribus pro Friderico [Pulchro] Austriaco ferens, reliquis cum Rege Bohemiæ majori numero Electoribus, Ludovicum Bavarum, anno MCCCXIV, eligentibus, Germaniâ in partes duas scissâ, res ad conflictus devênit. Friderico demum MCCCXXIII devicto & capto, res transacta est inter utrumque, uti historiâ notum: Ludovicus verò odium in fratrem Rodolphum, sive prius dissidium in odium implacabile ab electione statim, & arma prima simul vertit, persequitur, Electore Rodolpho fervori fratris, modò Imperatoris, se subducente; alter regiones paternas unus occupat, fratrem patriâ, bonis & jure suo extorrem in Angliâ (plerique, quidam in Moraviâ ajunt) emori cogit, uxore Electrice Mechtilde, cum liberis in Austriâ vitam PRIMOGENITUS EST ELECTOR.

 susten-

ſuſtentante: Defunɫto Electore Rodolpho in exilio, adeo ut ne de ſepultura, nedum de corpore mortui, quô loci devenerit, olim Monachis Franciſcanis Heidelbergenſibus ſed falsò in templo ſuo humatum gloriantibus, quidquam certi compertum ſit. Ludovicus IV. Imperator frater, ſeu obitu & calamitatis fraternæ, ſeu rei indignitatis ac injuriæ conſcientiâ, ſive aliorum ſtatuum Imperii (ægrè ferentium quòd odio tam acerbo fratrem perſequeretur, adeo ut nonnulli inter abrogati Imperii cauſas hanc quoque numerent) indignatione tandem permotus, cum liberis defuncti fratris, aviti patrimonii

DIVISIO LVDOVICI IV. IMP.

diviſionem anno MCCCXXIX hoc pacto inſtituit: ut Bavaria ſibi & maſculis ſuis permaneat, Palatinatus Rheni, & in Norico, nunc vulgò ſuperiori Palatinatu, Amberga cum aliquot vicinis oppidis fratris filiis [ut quidam volunt] excluſo primogenito Adolpho [ex quo Palatina ſtirps deſcendit] ſub ſpecie ſimplicitatis, ſecundus Rodolphus II. regimen teneret, cui abſque ſobole maſculinâ extincto, tertius in regimine & Electoratu pòſt ita ſucceſſit Rupertus primus ſive præſenior (cognomento *very good*:) Diviſioni huic pro lubitu potentioris præſcriptæ gravius pactum annectitur, hocce, ut alternatio Electoralis dignitatis in utramque ſtirpem introducatur perpetua, Primogeniti quidem Rodolphi natu majoris filius, Elector primus audiat, officioque fungatur Electorali ad vitam; quo mortuo natu major Ludovici ſtirpis ſuperſtes, titulum & munus Electoris ſuſcipiat; & ſic deinceps cum utriuſque poſteris alternatio per ſtirpes, & in ſingulis pro prærogativâ ætatis, ut dictum, obſervetur. Hinc venit principatuum Palati-

NOVITAS ABSVRDA.

natus Rheni & Bavariæ ſuperioris prima diviſio, & alternationis in reliquis Electoratibus & domibus Electoriis inauditæ prætenſio, quæ nunquam pervenit ad effectum, quidquid Gebwoldus de Stephano (Ludovici filio VI) poſt Rodolphum II. Coelectore proferat: certum etenim eſt Rupertum I. ut ſupra dictum, fratri Rodolphi ordine ſucceſſiſſe & Electorem à Collegis approbatum, excluſo alternationis pacto ab Imperatore

tore & ordinibus anno MCCCLIV, ad mortem usque fuisse, omnibus Imperii actibus, sanctioni Bullæ aureæ interfuisse. Ac ne quid novitas hujus pacti Imperio præjudicii portendat, publica Imperii lege Aureâ bullâ antiquitatem Imperii & observantiam pro præterito, præsenti, & futuro tempore, Imperii unanimi voce comprobatam, confirmatam & stabilitam in perpetuum, adeò ut in nulla Electorali familia secularium, nedum linea Palatina præsenti, contra jus primogenituræ aut regionis Electorali dignitati (vel ab illo tempore anni MCCCLVI) annexæ, ullum documentum reperiatur contrarium, per se nullum antiquitate & lege publica, ut dictum modò. AVREA BVLLA ET OBSERVANTIA

Successit siquidem huic Ruperto filius dicti primogeniti fratris Adolphi Rupertus II. sive senior: huic itidem filius Rupertus parvus, postmodum Imperator, hujusque descendentes per filium primogenitum Ludovicum Electorem ad Othonem Henricum Electorem absque liberis mortuum: huic à filio [Ruperti Imperatoris] Simerensi duce Stephano sati, ordine primogenituræ, nempe Fridericus III Elector anno 1559. Pater Ludovici, avus Frid. IV, proavus Frid. V. Electorum, abavus præsentis Caroli Ludovici, &c. ab annis acquisiti Electoratus 420. justâ primogenituræ & possessione Palatinatus Rheni ac continua serie, lege publicâ universali stabilitâ in cunctis domibus Electoralibus (ab annis 1356) nimirum 280 per annos, ulterius speciali Imperatoris Sigismundi Bullâ munitâ, ac familiæ pactis. Unde ex tempore primæ acquisitionis, observantiæ in hac familiâ juris primogenituræ, & possessionis Palatinatus Rheni, præter juris publici contestationem ac sanctionem in perpetuum, Imperii documenta ac observantiam actis publicis, historiis & voce populi notoriam, liquidum, & infractum jus & possessio Palatinæ stirpis meridianâ luce clarius existit, subsistit, quo ad jus & æquitatis ulla species in Imperio Romano. CONTINVATIO PALATIN. STIRPIS

Nec te moveant Gebwoldi picturæ aut commenta antiqua vel moderna: illis Freherus satisfecit, his respondetur eâdem facili- VANITAS PICTVRARVM

facilitate, dum vidisti ad triclinium grandius in Regiâ Bavarâ à præsenti Duce exstructâ vel illustratâ, Genealogiam propè in angiportulo ante Caroli M. tempora à Majoribus repetitam, & continuatam à Ludovico Bavaro ad præsentem Ducem (omissa fratris primogeniti Rodolphi progenie) in dignitate Electorali. Vidi & ego, & amplius ad introitum urbis Monachiensis è suburbiis veniens, præsentem Ducem Maximilianum, tanquam restauratorem Electorali habitu & insigniis depictum, cum inscriptione HIC RESTITVIT, & supra hanc picturam aliam, credo Stephani Junioris, cum inscriptione HIC NEGLEXIT; Quid inde? Probaturne jus primogenituræ? sive aliud quoddam Electorale, vel saltem possessio? Nihil minus, sed (si vel idem jus minori fratri quod primogenito unquam fuisset, cui secundum jus Divinum, omnium gentium ac Imperii jura primogenituræ reclamant) contrarium de observantia ac possessione à tanto tempore evincitur, quæ pro stabilimento juris vel extranei sanguinis in LL & Imperiis valeret, ubi non secula aliquot, sed unum aut brevius temporis spatium requiritur ad justum titulum acquirendum, nedum ad antiquiorem possessionem probandam (ad jura.) Et quid opus est conjecturis in rebus claris ac perspicuis, ajunt JurisConsulti, & amplius proscriptiones sive usucapiones LL. firmatas ne dominia rerum in incerto essent? Quid vero firmum seu stabile in Regnis, Principatibus, Republicâ, ipso inquam Jmperio foret? si dominia sive jus rerum ac possessiones trium seculorum imò vel unius (absque legitimâ causæ cognitione saltem) in litigia revocarentur & à possessoribus quovis prætextu quo jure, qua injuria abstraherentur? quas putas ubique terrarum mutationes ac confusiones futuras in publicis & privatis?

CONFESSIO NEGLIGENTIÆ PROPRIA.

Pictura fortè insignium gentis hujus minus dubitationis habebit, dum insignia rutis variata Bavariæ scilicet à dextera (more Germaniæ, superiori loco) leoni Palatino posita, in Bavariâ & hodiernis Bavaricis insigniis reperies, contrarium &

Pala-

Palatina antiqua Monachii & compluribus Bavariæ locis, monetis Bavaricis, & Colonienſibus, Hollandicis olim, urbe Donawerdana ad Curiam hoc Duce Bavariæ depicta, cum ſimilibus non admodum vetuſtis invenies , & ſic mutationem recenter à Bavaris introductam, quo conſilio aut affectatione non ſatis aſſequor ; cùm titulum Palatinorum Rheni uſque præferant Bavariæ, qui ordinem inſignium præter dictam obſervantiam, cum ſeſſione Imperii notoria & inveſtituris Imperialibus Palatinatum Rheni Bavariæ præferentibus monſtrare deberet. Præterea diverſa ſunt inſignia hîc, regionum & Electoratus, rubrum illud pomo aureo ab Imperatore Carolo V. ob merita Friderici II. Electoris donatum, inſigniis Electoris Palatini peculiare , reliquis ſtirpis principibus neutiquam, ne filio quidem Electoris primogenito ante regimen commune, eſt Electoriæ dignitatis; ſed de ipſis gentis inſigniis Freherus Gebwoldum pluribus inſtruxit, quæ ſuo loco relinquentes cum correctione tamen Genealogiarũ quorundam, honore Imperatoris Ludovici, vel privato affectu, vel forte errore, in delineationibus ſtemmatis & ſtirpis utriuſque, latus dexterum Ludovico Imperatori affingentium, inſciis forſitan occaſionem dubitationis dantium, ad verum, & ad rem redeamus, & jus gentis ipſius, jus reale Palatinatus Rheni ſi ullum in Imperio fuit. Jus poſſeſſionis antiquiſſimæ & continuatæ ad violentiam belli, proh dolor! civilis noſtri, à primis principatuum utrorumque, ut dictum, temporibus acquiſitionis & conjunctionis, poſſeſſionem authore non prætore ſed [quotquot fuere] Imperatoribus, à Friderico II. Imperatore ad præſentem familiæ & Imperio funeſtam deturbationem, Palatinę ſtirpi juſtam ac legitimam fuiſſe, eſſe, & manere præſenti Electori Carolo Ludovico ſtemmatis capiti, quàm diu aliqua Juſtitiæ particula ſeu umbra in Imperio Romano ſupereſt, notorium, omnibus juris numeris abſolutum eſt.

Non te commoveat Gebvvoldi allegatus libellus de ſeptemviratu Imperii, vivo vel mortuo Frehero congeſtus, in lucem

Præpostera editio libelli de septemviratu et compilatio.

sane editus hoc bello, ac si occasionibus Bavari insidiati dudum fuissent. Argumento tibi erit vel Bellarmini epistolium Gebvvoldo anno M DC XIII rescriptum & postmodum in editione publicâ capiti libelli præfixum.

Nec forsan ignoras Neoburgicos, puto Consiliarios Palatinos refutasse ex professo. Vidi & legi antehac, & quid multis? ut Gebwoldus merces diu reconditas tandē hisce turbis civilibus extruderet, teste responsoriâ Bellarmini, tractatum generalem septemviratus Imperii compilasse, hoc consilio videtur, ut causam Heri Bavari novam & inauditam Imperio ac exteris, antiquis & cognitis lectori, sic odiosum gratis, falsa veris miscêret, & tempestate bellicâ vela suæ affectationis facilius & largius, uti fecit, reliquos Electoratus sicco pede transiens, explicaret & violentiæ fucum obduceret: Respice quæso scopum & probationes, & animadvertes quomodo fluctuet in prætensâ fundatione Juris Bavarici, non rotunde exprimens, quid & quale sit. Nam dum præ se fert jus reale regioni Bavariæ se constituere, seu Principatui dignitatem Electoralem connexam vendicare velle, & rem exemplis ante Othonem quoque tertium Imperatorem suffulcire conatur, quid aliud profert, quàm dubia in re ipsa, ac personis. Nam ad mensam Imperatori est forte Pincerna, & alii quoque, non tantum Archidapifer, ut Regibus & Principibus hodie in aulis, at c[illegible] hæc ad rem? sit Bavarus Pincerna olim, vel alterius officii ante Othonem III. quid obsecro obstabit Palatinæ stirpi seu genti præsentis & quidem in quæstione nostrâ Electoralis dignitatis, cujus originem concedit, ut superius notatum, Gebwoldus Othoni III. contrarium potius inferri videtur, vel saltem probari velle incertum per alterum incertum, & ne ni[illegible] longi simus, quâ ratione scimus qualitatem dicti officii, an perpetui vel temporalis; ordinarii vel extraordinarii? &c. Hoc certò scimus (si ab antiquitate argumentemur) Palatinum Imperii, dudum ante Electorum constitutionem fuisse sive præfectum prætorio, ante Caroli Magni quoque tempora, Francorum

Antiquitas Palatini muneris.

cognito

cognito munere, mutato subinde nomine, imò Justiniani Imperatoris, uti præter historias ex digestis titulo peculiari de officio præfecti prætorio, & eundem aulæ simul Imperatoriæ judicem fuisse, & secundum ab Imperatore (uti Magister equitum Dictatorum tempore) liquidum plane est, & per consequens ei in prærogativis & solennibus Curiæ, & actibus Jmperii, quæstionem status absq; absurditatibus moveri, nullo modo posse. Nec quid scrupuli injicere Gebwoldi aliarum quoq; Regionum Palatinos olim suos habentium, ut Saxoniæ, Bavariæ, allegatio potest. Cum quæstio hic non sit de Palatino alicujus Próvinciæ, ut olim in Præfectis prætorio Africæ, Orientis & Jllyrici, *Cod. his tit.* sed de Palatino sive Præfecto Prætorio Imperii, & per excellentiam: Hunc in Imperio nostro Palatinum Rheni esse, & inter seculareis in Imperio Electores (Electionis fortè actu cui Rex Bohemiæ interest, excepto) primas habere, jure & observātiâ absque competitione ullâ indubitatum est; videmus usque in regnis quibusdam officii similitudinem eodem Palatini nomine, ut in Hungariæ & Poloniæ regno. Et quamvis antiquitùs nonnulli certa Palatia, ut Trevirense vel Romanorum tempore famosum, & in finibus Mosellæ Pfalentz, & Rheni Pfaltz, denominationi assignarint hujus gentis & muneris, quæ nominata loca olim inhabitarit, & jus ad Pfalentz, & in Pfaltz Patrimoniale habeat hactenus. Verisimilius tamen erit, authoritate antiquiori historiæ & legum Imperii Orientis *dict. tit. ff. de offic. præfect.* & Occidentis lege fundamentali bullâ aureâ, à Palatio Imperatoris præfectos prætorio & pòst Comites Palatinos ubicunque sit Imperator, & à dignitate muneris potius, quàm loco appellari, si vel Francorum tempore Trevirensis locus nomini occasionis originem dedisset, ac genti Domicilium, vel potius patrimonium, Hujusmodi multa possent dici, sed quid ad Electoratus certitudinem dum destituimur fundatione Othonis III. & certitudo familiarum, ut dictum superius, Electoralium ante Frid. II. fere in dubium vocetur, ipso Aventino; imò quid ad hanc

 gentem,

gentem, cui res non est hîc cum extraneo, sed primogeniti Rodolphi filiis cum filiis Ludovici natu minoris. Nec jus reale extruitur hinc, aut aliunde, quin ipse Gebwoldus aliam Electoriæ dignitatis definitionem construit & jus dignitatis ab Imperatore concessum ita facit, ut nihil reale inferat ipse, ac quid præsumptionibus hominis (uti in jure vocamus) seu conjecturis proficeret, contra leges publicas & fundamentales superius allegatas Imperii, & observantiam notoriam? Exempli gratia: si probaret definitionem, Electoratum esse jus ab Imperio sive Imperatore alicui concessum pro se & descendentibus, & sic quasi personale jus faceret, nisi simul constructione sua jus primogenituræ destruere posset, stirpi Palatinæ tantum abest, ut obstaret, ut potius ei jus primogenituræ in tali feudo dignitatis majori, sive Regali ita tribueret, ut ei deberetur, & dividi per se non posset. E diverso si jus reale contenderet Bavarię contra authoritatem legum & observantię mordicus, quid aliud quam Bavariæ stirpis injuriam Palatinæ stirpi prima divisione factam proderet, dum olim in quantitate divisionis sibi illatam existimarunt, in qualitate una reperirent, & meliori jure primogenituræ & divisionis violentæ & iniquæ, post tempora divisionis suum jus repeterent & absque legum violatione, quam Bavara stirps Electoratum cum majori Regionum utriusque Palatinatus parte, cum legum fundamentalium & observantiæ Imperii eversione inevitabili affectat?

Et veniamus in rem præsentem, videbimus stirpem Bavaram à Ludovico Imperatore, ceu stipite usque, Bavariam Stephano & partem Alberto filiis attribuente, plerunque à primis temporibus divisionibus hæreditariis (nonnunquam in quatuor portiones) regionem, deficientibus demum reliquis familiæ collateralibus, præsentis Ducis Avi [ni fallor] tempore in stirpe præsenti consolidatam iterum, distribuisse; unde non immeritò quęritur, quę hîc portio Electoralis, & quinam Coëlector imaginariè fuerit, siquidem Electoralis dignitas Bavariæ

riæ connexa? estut ita observantia propria Bavaræ stirpi adversetur. Præterea Bavarica hæc argumenta parum sibi constant; Nam si personale sive gentis jus constituant, non reale erit & sibi potius contrarium, ac dato ante Bullam Imperii auream Electoratum non fuisse regionibus inseparabiliter annexum, vel non certò constitisse & dubitatum fuisse, quod tamen aurea Bulla negare potius & majori ac publica fide videtur. CONTRARIA ALLEGANS NON AVDIENDVS EST.

Quis negabit à Bullæ tempore omnium Imperii Statuum testimonio vel consensu, certum esse non tantum jus primogenituræ domuum Electoralium sed regionum quoque, adeò ut in altercatione pro possessore regionis interim lex publica cap. 20. stet, & consequenter inseparabiliter connexa sint Electoria dignitas & Electoralis regio, quæ dicta Bulla Palatinatui Rheni cum aliis præeminentiis, ut Imperii Vicariatus, & Iudicis Imperatoris ex antiquitate tribuit, passim, & cap. 5. Quisquiliæ ergò sunt conjecturæ contra leges fundamentales & observantiam Imperii in Electoratibus generalem, nullius momenti contra stirpem Palatinam ratione tituli primogenituræ, divisionis, si alii deficerent, ac transactionis, præscriptionis. CERTITVDO DIGNITATIS ET REGIONIS ELECTORALIS ET CONNEXITAS

Contrarietas item evidentior apparet in prætensione communionis Electoralis dignitatis stirpis Bavaræ cum Palatinâ, virtute pacti dictæ alternationis. Nam si reale jus Bavariæ fuit, quo jure Palatinatui Rheni communicari potuit, vel contra; aut commune effici utrique stirpi simul Palatinæ absque possessione Bavariæ reali? Et vel hinc liquet Ludovicum Imperatorem [non ausum suis arrogare privative quod descendentes ejus nunc quâvis ruinâ moliuntur] pacto stirpi suæ noviter acquirere tentasse quod primogenituræ præcipuum & hujus patrimonii portionis Palatinatus Rheni proprium fuerit: quacunque ratione igitur alternationem sumas & hujus pactum, contrarietates evitare nequaquam poteris. Nam si ex pacto isto novo venit jus Bavaris, non est è natura rei seu regionis, minus è jure familiæ, quod primogenituræ scilicet repugnat. Et tantum pro jure. Quod ad possessionem per se nihil probat, EX VNO ABSVRDO SEQVVNTVR INFINITA.

 quia

quia possessio est facti, & contrarium probatum penes Palatinos eam fuisse, continuasse. Deinde jus ad communionem possessionis tantum probaret, & sic Palatinos Principes non excluderet, quin antiquam Palatinam possessionem priorem & à pacto communem includeret, assereret. Ast cum dicti Scriptores Freherus & Gebwoldus epistolis suis hanc rem fusius tractarint, & Gebwoldus pòst dicto libello septemviratus stylum eatenus convertere & pacto non, sed novis techis cum sequacibus, inhærere videatur, longior esse hîc supersedeo, & ad jus liquidum Palatinorum ac possessionem justam, continuam & bullis dictis generalibus & specialibus quietam ac Imperii notoriam unicum hocce addam, Stirpem Palatinam quãtum historia monstrat, authoris Rodolphi I. Electoris injurias fraternas & hæreditatis à Ludovico Imperatore assignationem qualemcunque æquo animo tulisse, memoriam rei non plane deposuisse, cum temporibus Maximiliani I. Imperatoris, Philippi Electoris Palatini filium Rupertum secundogenitum, Othonis Henrici Electoris & Philippi Vienensis Patrẽ, Georgii [cognomento Ditis] Bavariæ Ducis Landshutensis filiam unicam, hoc animo in uxorem duxisse legamus, ut mediante matrimonio hoc, & dispositione Soceri, antiqui Patrimonii bonam partem Domui seu stirpi suæ recuperaret, & cum exorto inde bello inter utranque stirpem per annum, anno M D I V. in armis essent, & Pater Philippus Elector cum filio conventu indicto, recusatâ compositione scilicet & oblatione majoris partis ditionis Landshutensis, proscriptus, & Coloniẹ per Electorem Saxoniæ in conspectum Imperatoris Philippus Elector, Ruperto filio, non sine veneni suspicione, cum uxore extincto, adductus, & illicò reconciliatus fuisset, auditâ & cognitâ causâ Philippi, ab Imperatore tunc Bavariæ Ducis Alberti Socero, de gratiâ antiquitus malè sartâ familiæ inposterum firmandâ sollicito, per transactionis leges & conditiones ad æquabilitatem propius accedentes, nempe partium ditionis ad Danubium & Nabum cum Palatinatu Rheni ac dignitate Electorali

Rancor injuriæ antiquæ.

Bellum Bavaricum.

Transactio solennis.

Pala-

Palatinæ stirpis conjungendæ assignationem (quorum ab illo quoque tempore possessionem quiete & juste continuavit) rem omnem familiæ authoritate Imperatoris, Imperii, cum utriusque stirpis primoribus transactam, & dissidii materiem sopitam fuisse, ut meritò vel hicce titulus solennis & perpetuæ transactionis stirpem Palatinam munire posset, absque reliquis concurrentibus supra allatis, & cum jure Primogenituræ, quo reliquæ Domus Electorales firmæ subsistunt, & vel hinc Bavaricæ affectationes & legum & temporum cavillationes simul concidunt, usque militantibus. Quid dicam de pactis familiæ & investituris absque interruptione, Cæsareis, sive Imperii, confirmationibus Imperatoriis [olim Papalibus quoque] pro stirpe Palatinâ in Archivis ubique ac sessionibus (quarum vel personalem tantùm cessionem Ducem Bavariæ Wilhelmum, olim à Duce Bipontino Electoris Palatini collaterali ægrè impetrasse legimus) Imperii, Historiâ & tractatibus peculiaribus extantibus.

IUS PRIMOGENITURÆ PALATINÆ STIRPIS BULLIS, INVESTITURIS CÆSAREIS, OBSERVANTIA, DIVISIONE, PRÆSCRIPTIONE, TRANSACTIONE, PACTIS FAMILIÆ ET ALIIS MUNITUM.

Per mirum non immeritò exteris Imperii statibus legum & rerum periculum videbitur, in re tam perspicuâ juris primogenituræ ratione dignitatis Electoralis & patrimonii, Palatinatu Rheni, vel ab ipso Ludovico Imperatore Rodolphi fratris liberis tradito seu restituto, & residuo jure, Imperatorum investituris, & maxime Imperatoris Maximiliani I, transactione & confirmatione penes Palatinam stirpem existente, ac tam justâ, quietâ ac continuâ possessione, ipso jure legum ac notorietate rei & confessionis adversæ partis [omnium probationum optimæ] contra præsentem vim subsistente; Injuria stupenda inquam videbitur, quæ tam litigiis & subornationibus falsis & novis [uti jam pridem Parisiis factitatum memoras] quàm violentiâ ipsâ exercetur & continuatur in stirpem Electoralem Palatinam; & præsentem Electorem Carolum Ludovicum Palatinum, gentis Palatino-Bavaræ usque primogenitum & caput. Tu lege si lubet & judica, prolixitas tuarum me quoque fecit prolixiorem, paucis rescribere

possem,

poſſem, Jus primogenituræ ſtirpis & regionis Palatinæ eſſe notorium Imperii & Orbis, vel Bullis, aureâ generali capitulatione præſentis Imperatoris Ferdinand. II. ſolemni jurejurando [articulo ſecundo & paſſim] munitâ, & ſpeciali Sigiſmundi Imperatoris, clarum; priſcæ libertatis Germaniæ ac pacis almæ ſtabilimentum.

FINIS.